

ribus post horis integras reperiri si e stomacho extrahantur. Insuper minima cibi quantitas (eorum sententia) inepta est ut stomachi laborem succi gastrici secretionem excitet : unde mirum non foret saepe in stomacho etiam sano manere ss. species absque immutatione, donec ampliore refectione stomachus ad concoquendum excitetur. Quanto autem tempore manere possint ss. species integrae in stomacho aegrotantium, defini nequit : siquidem ab huiusmodi hominibus interdum post totum diem particulae cibi specie tenus immutatae rejiciuntur vel stomachi lotionem extrahuntur. Incertitudinem augent disputationes philosophorum et chemistarum de substantialibus corporum immutationibus : unde fit ut vix determinari possit quatenus mutatio in elementis panem vinumve componentibus substantiam eorundem pessumdet. (1)

Practice, si infirmus ss. species evomuerit vel si timeatur ne in alimentis e stomacho eductis eadem adhuc reperiantur, servanda est regula Missalis (de defect. X) : “ *Si species integrae appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat : tunc enim species consecratae caute separantur et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur et postea in sacrarium projiciantur. Quodsi species non appareant, comburatur vomitus et cineres in sacrarium projiciantur.* ”

CAPUT II.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

§ I. QUIS SIT MINISTER EUCHARISTIAE CONFICIENDAE ET DISTRIBUTUENDAE.

180. I. Soli sacerdotes valide Eucharistiam conficere possunt, ut constat ex S. Scriptura (Matth. XXVI, 26; Luc. XXII, 19 seqq. etc.) et universa traditione. Ita definit Trident. Sess. 23. c. 1.

Regulariter singuli sacerdotes seorsim consecrant. Attamen in dubium vocari nequit ab Ecclesia praecipere vel permitti posse ut plures simul eandem materiam consecrent. Etenim usus adhuc hodie habet in qui-

(1) Cfr. Gasparri, de Euch. II. n. 1194, ubi citantur testimonia duorum peritorum medicorum qui ambo existimant in stomacho sano requiri fere semihoram ad concoquendam hostiam minorem. Addit autem unus, apud multos morbis febrilibus laborantes (fere dimidiam Gallorum partem) posse fragmenta reperiri post duas tresve horas. Quae nos ipsi dedimus, audivimus a docto Professore huius Universitatis Lovaniensis, qui speciales de ciborum decoctione investigationes instituit.

busdam partibus Ecclesiae Orientalis ut sacerdotes episcopo concelebrent et tamen singuli stipendia recipiant. Idem usus diu etiam in Ecclesia Occidentali viguit, et adhuc hodie in ordinatione neo-presbyterorum servatur. Difficultas non levis est : quomodo in huiusmodi celebratione tum episcopus, tum singuli sacerdotes dicendi sint vere consecrare, siquidem fieri vix potest ut omnes eodem physico momento formam consecrationis absolvant, consecratio autem certo perficitur ubi quilibet eorum formam absolvit, quia ejus effectus suspendi nequit, etiamsi omnes intenderent non consecrare antequam episcopus et reliqui formam absolvisent. Probabilior videtur explicatio quam probat Bened. XIV (de Sac. Missae, l. 3. c. 16. n. 7) : neo-presbyteros ad eam consecrationem tamquam accessorios concurrere, ac formam quam ipsi proferunt cum episcopo, moraliter esse conjunctam cum ea quam episcopus profert : ex quo fit ut etiamsi eam vel paulo ante vel paulo post episcopum expleverint, ea tamen censenda sit moraliter prolata cum episcopo atque ita unam eandemque constituere consecrationem. Conandum tamen est ordinatis ut, juxta monitum Pontificalis Romani, verba consecrationis eodem momento dicant quo dicuntur ab episcopo : cujus monitio sufficiens est, omnia verba consecratoria moraliter simul proferenda esse ut unicam causam totalem efficiant. (Gasp. de s. ordin. n. 1067) In fine hujus Missae non nisi sub specie panis communicant neo-sacerdotes : unde concludere licet legem a Christo positam ut Eucharistiam conficiens, eandem semper sumat, posse ab Ecclesia temperari ita ut, ubi plures concelebrent, quidam sub una tantum specie consecrata sumant.

Quid ad validam confectionem requiratur, ex tract. de Sac. in genere, et ex cap. I. liquet; quid ad licitam requiratur, patebit e cap. III. de Subjecto Eucharistiae : siquidem omnes dispositiones, quae ad dignam susceptionem sunt necessariae, requiruntur etiam ad licitam confectionem, quia conficiens, ex lege supradicta, semper suscipere debet.

II. Ad solos sacerdotes pertinet ex officio dispensare S. Eucharistiam. Ut enim declarat Trid. (Sess. 13. c. 8) : “ Semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a sacerdotibus communionem acciperent ; sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent. ” Diaconi vero ex ordinatione sua habent ut jure suo inserviant sacerdoti in rebus dignioribus, quarum praecipua est S. Eucharistiae distributio. (Lugo, disp. 18. n. 13) Sic diaconi passim, primis Ecclesiae saeculis, ex commissione episcoporum vel presbyterorum, S. Eucharistiam dispensabant.

181. III. Iis tantum sacerdotibus licet distribuere S. Eucharistiam, qui vel ordinarii sunt pastores vel ab iisdem eam facultatem acceperunt. Ratio est : quod administratio sacramentorum pertinet ad eos qui curam

animarum habent, cum sit unum e praecipuis mediis oves pascendi. Unde graviter peccat qui Eucharistiam sine facultate ulla dispensat: siquidem pastoris jus violat in re gravi.

Sufficit tamen facultas rationabiliter praesumpta: eo quod ea minime requiritur ad valorem actus, sed unice ne fiat contra pastoris voluntatem. (Lugo, l. c. n. 37)

Hodie consuetudo habet ut ubicumque sacerdos Missam celebrat (saltem extra sacella proprio sensu domestica), Eucharistiam distribuere possit iis qui ex devotione communicare velint: quod consonat menti Conc. Trid. (Sess. 22. c. 6. de Sac. Missae) optantis ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentaliter communicarent. Quandoque etiam praesumi poterit consensus parochi ubi de communione paschali agitur: quod e circumstantiis eruendum erit. (S. Alph. n. 235; Ball. P. n. 87)

Ut in sacellis quae in privatis domibus ex Indulto Apostolico eriguntur, S. Communio alii quam sacerdotis ministro distribui possit, plerique AA. (Ball. P. n. 84; Lehm. II. n. 135. etc.) requirunt expressam facultatem, a S. Sede vel episcopo obtinendam. Nituntur praecipue Const. Bened. XIV *Magno cum animi* (1751) ad episcopos Poloniae data. Alii tamen (ut Gennari, Consult. Mor. etc. Cons. Liturg. 45) rectius, ut videtur, censent id licere, dummodo episcopus illud non diserte prohibuerit. Nam Bened. XIV (Const. cit.) nullam generalem prohibitionem edidit, sed tantum scripsit ad episcopos Poloniae, ubi multi abusus circa oratoria privata irrepserant, ut, *suo jure usi*, S. Communionem in iisdem distribui vetarent, idque confirmat exemplo suo, allegans simile statutum quod tamquam Archiep. Bononiensis ediderat.

Communionem per modum Viatici ministrare absque parochi licentia (nisi necessitas urgeat), omnibus graviter illicitum est et Regularibus sub excommunicationis poena prohibetur. Cfr. n. 604.

IV. Diacono committi nequit ss. Eucharistiae dispensatio nisi urgeat aliqua necessitas late sumpta, nempe cum nullus adest sacerdos qui commode possit ministrare. Constat ex hodierna praxi, quam etiam probavit S. C. R. 25 Febr. 1777. (Coll. S. R. n. 2504) Ubi autem Viaticum ministrandum est et deficit sacerdos, diaconus illud sine commissione ministrare potest. (S. Alph. n. 237. q. I)

Probabiliter etiam a laico deferri et ministrari potest Viaticum moribundo: nulla enim fit injuria sacramento, neque, ubi constat de necessitate, generatur populo scandalum. Frustra obtenditur contraria consuetudo: quippe quae tantum de ordinariis adjunctis, non de hoc rarissimo casu procedat. (S. Alph. l. c. q. III)

182. V. Probabile est licere tum sacerdoti, tum diacono ministrare sibimetipsi communionem, etiam ex mera devotione, ubi nullus alius

sacerdos adest. Id enim nullam sapit irreverentiam, neque ullibi vetitum est. (S. Alph. n. 238)

Idem probabiliter licet etiam laicis in casu necessitatis, scil. si, imminente mortis periculo, nullus adest sacerdos vel diaconus qui Viaticum ministrare possit. Urget enim tunc divinum praeceptum communicandi, neque obstat ulla lex ecclesiastica qua id prohibeatur: nam, etsi abolitus fuit priorum saeculorum usus, quo fideles S. Eucharistiam in domos suas deferebant et seipsos communicabant, gratis asseritur hanc hodiernam disciplinam extendi ad casum extremae necessitatis. Immo S. C. de Prop. Fide (10 Aug. 1841) permisit ut S. Eucharistia, tempore persecutionis, occulte deferretur ad fidei confessores morte damnatos et ab iisdem, propriis manibus sumeretur, ne sacerdos illam administrans apprehenderetur. (Coll. P. F. n. 728)

VI. Regulares S. Eucharistiam in ecclesiis suis ministrare possunt, quovis anni tempore, excepta tantum Dominica Resurrectionis. Facultas illa e multis RR. PP. constitutionibus constat (cfr. Bullaria singulorum Ordinum); exceptio autem apposita legitur jam in antiquioribus documentis, ex. gr. in Brevi *Scimus populos*, a Nicolao V concessa Minoribus. (15 Apr. 1458)

Duplex viguit controversia de sensu hujus restrictionis: prior, utrum tempus exceptum sit sola Dominica Paschalis, an tota quindena Paschalis; posterior, utrum ea prohibitio afficiat tantum communionem qua praecepto satisfiat, an illam etiam quae e mera devotione suscipiatur. Hodie e repetitis S. C. C. decisionibus constat, prohibitionem illam comprehendi quidem solam Dominicam Paschalis, sed communionem quamcumque, etiam e mera devotione. Ut ergo Regulares possint S. Eucharistiam die Paschalis in suis ecclesiis vel oratoriis distribuere, requiritur consensus episcopi vel parochi, aut legitime praescripta consuetudo. Haec certe non est universalis. Profecto in Belgio observatur illa prohibitio, quam olim Card. Sterckx in memoriam revocavit (Litt. 15 Jan. 1836; cfr. Stat. Syn. Mechl.); etiam Romae in usu est, addito quoque die Caenae.

Excipiuntur tamen ab hac prohibitionem, secundum sententiam quam S. Alph. (n. 240) communissimam vocat, vagi et peregrini, quia proprium pastorem non habent; insuper laici qui intra monasterii saepta assidue commorantur et sub oboedientia Regularium vivunt, quales sunt famuli et probabiliter alumni convictores. Cfr. n. 338.

Si qui aegre adduci possent ut ad ecclesiam parochialem tenderent, ex. gr. milites praecepto Paschali satisfacturi, possent quandoque admitti ob praesumptum parochi vel Ordinarii consensum. Praestabit talibus communionem dare ad gradum altaris vel in sacello domestico.